



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Theodosius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

Recedentibus Titulis actum est de Regularibus, quoad eorum ingressum in Religionem, quæ & Conversio dicitur; consequenter de votis eorum, & professione; nunc verò de eorundem statu, & conversatione subiicitur

CAPITULUM I.

Theodosius.

PARAPHRASIS.

Episcopus, cui Monachi subditi sunt, Presbyterum ipsis providere debet, à quo Sacrificia, & Sacramenta percipiant; sed nec Episcopus, nec Presbyter ille oneribus, vel exactionibus monasteria aggravare debet; ut etiam habetur in *c. nimis 16. de excessibus Pralat. c. quam sit 5. causa 18. q. 2.*

CAPITVLVM II.

Monachi.

PARAPHRASIS.

Non recipiantur Monachi in monasterium pro pretio, nec permittantur habere peculium; neque in oppidis, aut villis per parochiales quascunque Ecclesias singuli habitare permittantur, sed in majore Conventu, vel cum fratribus aliquibus maneat; neque soli inter seculares homines versentur. Qui peculium habuerit, nisi Abbas ejus administrationem ipsi permisserit, ab altaris communione

removeatur: qui in extremis cum peculio fuerit inventus, & dignam pœnitentiam non egerit, oblatio pro ipso non fiat, neque Ecclesiasticam inter fratres habeat sepulturam; idque in omnibus Religiosis observandum. Abbas verò, qui in talibus cavendis negligens fuerit, ab officio amoveatur. Prioratus & obedientiæ pro pretio non tradantur; alioqui tam dantes, quàm accipientes ab officio, vel ministerio deponantur. Priores autem, cum in Ecclesijs Conventualibus per Capitulum electionem constituti fuerint, mutari non debent, nisi ob manifestam, & rationabilem causam, videlicet, si fuerint bonorum dilapidatores, aut incontinententer vixerint, vel simile quid egerint, vel denique, si ob necessitatem majoris administrandi officij, cum Fratrum consilio transferendū sint, Ita Alexander III. in Con. Gen.

SUMMARIUM.

1. Pro professione non potest aliquid recipi, ut pretium.
2. Quomodo peculium Religiosus habere possit?
3. Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, sunt veri Pralati.

Notandum primò. Pro professione, aut receptione in Religionem non potest aliquid accipi ut pretium; at verò pro sustentatione personæ aliquid accipere, non est per se illicitum. Hanc rem fusè tradidi *l. 4. t. ult. c. ult. n. 39.* ubi dixi, permittum id esse, si monasterium inopiâ prematur,

aut